

clementiæ locus: idq̄ve ideò, quia per se quidem misericordiæ capaces fieri nequeunt damnati, de commissis quippe sceleribus nunquam pœnitentes, nec habitû fidei instructi: *Non est in infernò confessio, non gemitus, non lachrymæ, quæ iudicis avertant sententiam;* Ephrem ait: *Quando isthinc excessum est.* Cyprianus inquit: *Nullas jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus, hîc vita aut amittitur aut tenetur.* Ubi verò nulla resipiscentia, nec vel propria, vel aliena, fide apprehensa ac oblata expiatio, ibi nunquam miseretur DEUS, nec misereri potest.

§. 12.

Veritatem pariter ac veracitatem mirum in modum labefactant Calviniani, inter cætera blasphemè docentes, DEUM ex absolutò dominiò homîni injungere posse, ut mendacia credat: nec quomodo salvari queat, video, si Voluntas interna & beneplaciti (ut vocant) discrepet â revelatâ, signò fallaci manifestatâ, illiq̄ve ista sit contraria. Impium instar fulminis profternit sphalma asseveratio Apostolica; ἀδωίατον ψεύσαθς θεόν. Hebr. 6, 18.

§. 13.

Doctores de Scholâ ad unum ferè omnes, exceptis paucis, & commutativam & distributivam justitiam ullò modò competere Supremò Moderatori renuunt. Quibus adstipulantur Sociniani cum Arminianis & Vorstiô, omnem insuper â DEI vindicatricem prorsùs justitiam removentes, ac si non necessario teneatur plectere scelera, quæ non contra naturam divinam, sed voluntatem committi volunt: Ideòque tam justitiam, quam misericordiam non Essentialia æstimant Idiomata, sed solummodò Effectus Voluntatis. Hæc quod attinet, per se quidem verum est, inter actum creatum & increatum nunquam dari